

cas, & in secreto cubiculi tui ne maledixeris divi-  
ti: quia & aves cœli portabunt vocem tuam, &  
qui habent pennas annuntiabunt verbum.

IL

Obedientia; quæ complectitur paratum  
obsequium in omnibus honestis officiis: justa quo-  
que vectigalia & tributa, tum belli tum pacis  
temporibus debita.

Rom. 13. 5. Ideoq; necessitate subditi estote, non  
solum propter iram, sed etiam propter conscien-  
tiam. Ideo. n. & tributa prestatis. Ministri. n. Dei  
sunt in hoc ipsum servientes. Reddite ergo omni-  
bus debita, cui tributum, tributum: cui vectigal,  
vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem,  
honorem.

Quid verò subditis agendum est, si Magistratus vel ido-  
lolicos cultus aut falsam doctrinam introducat:  
vel in externis inferat vim injustam?

In impiis decretis, quæ subditis falsam reli-  
gionem imperant, pii subditi Magistratibus nul-  
lam Obedientiam prestare, sed vitam potius, quam  
Dei mandata relinquere debent juxta regulam:

II

Act. 5. 29. Obedire oportet Deo magis, quam  
hominibus.

In cæteris autem externis & corporalibus,  
vim potius injustam sustineant, quam animos  
suos ad illegitimam seditionem unquam accendi  
patiantur. Non enim qui fert, sed qui infert in-  
juriam, peccat.

II

Col. 3. 22. & c. Qui autem injustè agit, recipiet  
id quod iniquè gessit, & non est personarum acce-  
ptio.

Aa 5 Ibid.